



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Satyrus C. 17. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

17. Sept. VITÆ SANCTORUM. 581  
jus odii tam sancti hæredem te hodie  
LAMBERTUS vult, Mariane. Ex Surio &  
Graff.

Quid suavius homini, quid jucundius,  
quam mundum contemnere, & se reputare  
seculo celsiore atque in bonæ conscientiæ  
vertice consistentem mundum habere sub pe-  
dibus, & nihil in eo videre quod appetat,  
eui inuidiat, quem metuat? S. Bern. op  
de Char. c. 18.

S. SATYRUS C. 17. Septembris.

**A**mbrosium in SATYRO vides.  
Nam frater hic illius fuit, non virtu-  
te modo, sed yultu quoque & habitu  
corporis tam germanus, ut familiarium  
etiam oculos falleret. Et nescissent hi sæ-  
pius, quamnam ex duobus alloqueren-  
ter, nisi amor & vitæ morumque simili-  
tudo, adeoque animorum consensus u-  
num jam pridem ex geminis fecissent.  
Erat porrò in SATYRO ea animi simpli-  
citas, ut columbam; ea prudentia, ut  
serpentem; virtutum fragrantia tanta  
& copia, ut hortum jure dixisses. His il-  
le præsidis instructus rem fratris dome-  
sticam ita adinistrabat, ut pietas fau-  
liam duceret. Eripi sibi oculos credebat  
Ambrosius, cum ex oculis SATYRUS a-  
biret. Abibat tamen, cum negotia id ex-  
gebant. Et ecce navim condescendit SATY-  
RUS, sed non sine armamentis. E collo

Oo 3

An-

582 VITÆ SANCTORUM. 17. Sept.

Angelorum panem suspendit. Mox venti insurgent & fluctus navim expugnant. At SATYRO naufrago non commatus, non vela, remi, malus, non anchora deest, omnia hæc ad sunt in SS. Eucharistiâ. Illo succollante, quem collo ipse ferebat, emergit; & Anathema templo ipsum Servatorem suum gratus donat. Credidit in portu se esse, & fuit, non tunc quidem, sed paulò post, cum beatâ morte defunctus est. Verum tunc naufragum Ambrosium lacrymis vidisses. Ex ipsi D. Ambroſ.

Beatus qui sanctæ Communioni atque rationi tanquam celestis Angelus incumbit, & mundis quotidie cogitationibus vacat, neque aditum præbet improbo dæmoni, ut animum suum expugnet & abducatur Deo Servatore. S. Ephrem in Beatitud.

S. HILDEGARDIS V. 17. Sept.

**N**escio quid de HILDEGARDE sentiendum, mundumne deseruerit, an potius nunquam fuerit in mundo; quippe XII. annorum virguncula inter virginis sacras adlecta. Cœlestia ab ipsis cunis videre habuit, numquæ hæc prodidit, quando sermone non potuit. Literas, quas nunquam didicit, scripsit tamen, easque non suâ lingua: atque ut cantaturam scires olim, quod canere alii desperabunt, carmen, jam tunc absque docto-